



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An Perpetuitas Beatitudinis, & certitudo de ipsa, sit de essentia
Beatitudinis formalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

eatenus, quatenus applicat objectum, ut possit causare dolorem. ad prob. om. antec. neg. conseq. potest enim cognitio esse malum physicum. Ad 1. confirm. neg. conseq. quia cognitio non ostendit DEO, quod peccatum sit ipsi causans dolorem &c. sic etiam debent respondere adversarii, quando quaeritur, cur cognitio non sit DEO radicaliter mala. Ad 2. confir. neg. ant. quod non probatur. Quid intelligatur per illud trahi, explicatum est n. 67.

79. Ob. 16. ex Ripalda. Posset dici, visionem seorsim, & amorem seorsim, esse beatitudinem adequatam: ergo gratis litigatur. prob. antec. beatitudo adequata non debet satiare omnes potentias, sed sufficit, ut satiet unam: ergo, quia visio satiat intellectum, & amor voluntatem, potest qualibet seorsim dici beatitudo adequata. antec. prob. si beatitudo adequata deberet satiare omnes potentias, requirerentur prater visionem, & amorem, plura alia ad satiandas potentias ab intellectu, & voluntate distinctas: sed nihil aliud requiritur ad beatitudinem adequatam: ergo ista non debet satiare omnes potentias. Confirm. DEUS habet tantum unam simplicem rationem beatificandi, scilicet Deitatem: ergo connotat tantum unum actum unius potentiae: ergo, si deatur visio, siue amor, jam datur beatitudo formalis adequata. Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. beatitudo non debet satiare prorsus omnes potentias. conc. antec. non omnes potentias rationales. neg. antec. & conseq. ad prob. dist. ma. si beatitudo deberet satiare omnes omnino potentias. conc. ma. si tantum rationales. neg. ma. & conc. min. dist. conf. non debet satiare omnes omnino potentias. conc. conf. non debet satiare rationales. neg. conf. vide n. 54. Ad confirm. dist. antec. DEUS habet tantum unam rationem beatificandi realiter, conc. antec. tantum unam formaliter, seu, quae possit tantum sub una ratione formali attingi. neg. antec. & conseq. utramque.

ARTICULUS III.

An perpetuitas beatitudinis, & certitudo de ipsa, sit de essentia beatitudinis formalis.

80. Dico 1. Beatitudo, quae defacto datur, est aeterna. ita tradunt omnes cum Magistro l. 4. disp. 49. & D. Thoma l. 2. q. 5. a. 4. in corp. imò est de fide; nam Matth. 25. v. 46. habetur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Et quamvis vox aeternum aliquando in Scripturis significet tantum longissimum tempus, tamen hoc loco omnes Patres, & Ecclesia, aeternitatem simpliciter dictam intelligunt. Unde, si data fuit aliqua visio intuitiva DEI, quae non fuit perpetua, vel quoad se, vel quoad speciem suam, hoc est, ut saltem, transeunte una visione, alia similis successerit, non fuit vera beatitudo.

81. Talem aliqui volunt habuisse Moysen, & S. Paulum, aut etiam S. Benedictum. Sed fors Ulloa disp. 5. de DEO c. 3. n. 23. cum aliis R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

rectius negat; cum eidem Moyfi dixerit DEUS. Exod. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet, & 1. Joan. 4. v. 12. dicatur: DEUM nemo vidit unquam:* unde potest dici cum eodem Ulloa loc. modò cit. illos Sanctos habuisse tantum specialissimam aliquam contemplationem DEI, quae phrasi Scripturae, & etiam in modo loquendi communiter usitato, dicatur visio.

82. Dico 2. Beati vident certissima cognitione hanc perpetuitatem, ita omnes. Sic S. Aug. l. 11. de civit. c. 32. ait: *Angelos sanctos in sublimibus celi sedibus, non quidem DEO coaeternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera felicitate securos, & certos esse, nemo ambigat.* S. Cyprian. l. de mortal. sub finem. sic ait: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copiosa turba, desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita.* S. Bernard. serm. 2. de S. Victore ait: *Sedet veteranus miles, debita jam suavitatem, & securitate quietus: securus quidem sui, sed nostri sollicitus.*

83. Dico 3. Perpetuitas est de essentia beatitudinis formalis. Ita Suarez, Valquez, Oviedo, Izquierdo disp. 21. n. 46. & hoc teste longe communior. Ut autem ritè intelligamur, non dicimus, quod perpetuitas, tota actu existens, sit de essentia beatitudinis formalis; hæc enim, cum tota actu nunquam existere possit, si requireretur, nunquam aliquis esset simpliciter, & absolute beatus, ut observat Ulloa disp. 5. de DEO c. 3. n. 23. Requiritur ergo perpetuitas, partim existens, partim semper futura, & nunquam cessatura. Prob. jam conclusio ex S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 8. ubi fusè hoc probat, & tandem concludit: *Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna:* ergo ipsa, siue essentia ipsi identificata, debet esse aeterna, & non tantum aliquid distinctum. Idem probat hic S. Doctor l. 11. de civit. DEI c. 11. Consentiant Patres alii, & accedit S. Thomas l. p. q. 64. a. 2. in corp. *Stabilitas sempiterna est de ratione veræ beatitudinis:* quod etiam tradit aliis variis locis.

84. Ratio autem est. Beatitudo, praesertim supernaturalis, atque perfecta, ex S. Aug. loc. cit. & S. Thoma variis locis, maxime l. 2. q. 5. a. 4. debet plenè satiare appetitum rationalem, & tollere omnem anxietatem, atque dolorem: atqui, si non esset perpetua, ista non faceret: ergo. prob. min. appetitus rationalis vel maxime desiderat bono maximo semper frui, & nunquam eo privari: & si eo deberet carere, utique redderetur tristis, anxius, & vel maxime inquietus: ergo, si beatitudo non esset perpetua, non tolleretur, sed potius causaret dolorem, & anxietatem. antec. est SS. Patrum, & per se videtur innegabile. conf. est clara.

85. Confirm. ex S. Aug. l. 11. de civit. c. 11. & clariùs adhuc l. 12. de civit. c. 13. & S. Thoma loc. modò cit. Si beatitudo esset defectibilis, vel creatura rationalis id sciret: vel nesciret, & simul erroneè putaret, eam non defecturam: vel omnino de hac re non cogitaret: vel dubitaret: nihil horum stat cum beatitudine: ergo. prob. min. Si id sciret, absque dubio foret anxius, sollicitus, & tristis, ob tantum bonum perden-

perdendum. Si iudicaret erroneè, beatitudinem non defecturam, hic ipse error esset magnum malum, adeoque non daretur beatitudo, quæ debet excludere omne malum. Quod autem omnino non cogitaret de perpetuitate, vel mutabilitate sui statûs, est prorsus incredibile; cum enim de aliis minoribus bonis statim cogitemus, quamdiu iis frui possimus; quis capiat, Beatos non cogituros de diuturnitate boni maximi? Si autem incideret hac de re minima cogitatio, fieret creatura rationalis anxiosa &c. quia tunc dubitaret, & hoc ipsum dubium ex S. Augustino eam affligeret. Igitur debet habere certam notitiam de perpetuitate beatitudinis, quæ, ut rectè arguit Angelicus, infert, ipsam beatitudinem reverà perpetuam esse.

86. Dico 4. Etiam certitudo, seu notitia certa, de perpetuitate beatitudinis, est de essentia beatitudinis. Equidem Haunoldus dicit, communioem esse oppositam sententiam, sed non probat: & Izquierdo *disp. 21. n. 48.* plures citat pro nostra sententia, quibus ipse accedit, & recentius Ulloa. Unde, qui volunt auctoritate contra nostram sententiam agere, videntur prius debere probare valde notabilem excessum; parvus enim non curaretur, præsertim cum SS. Thomas, & Aug. nobis faveant; nam S. August. *l. 11. de civit. c. 13.* ait: Quocirca cuius jam non difficulter occurrit, utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, ut bono incommutabili, quod DEUS est, sine ulla molestia perfruatur. Et in eo se in æternum esse mansurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. & lib. 12. de civit. c. 13. ait idem S. Doctor: Quomodo enim vera beatitudo est, de cuius nunquam eternitate confiditur, dum anima venturam miseriam, aut imperitissimè in veritate nescit, aut infelicitissimè in beatitudine pertimescit.

87. S. Thomas *1. 2. q. 5. a. 4. in corp.* de beatitudine ait: Oportet, quod desiderium hominis quietet, & omne malum excludat: & post pauca: Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum. Eadem fere verba habet *2. 2. q. 18. a. 3.* nisi, quod hic præmittat, esse de ratione, hoc est, de essentia beatitudinis, ut in ea quietetur voluntas, adeoque hanc certitudinem non tantum requirit, tanquam conditionem, seu applicationem beatitudinis, sed tanquam constitutivum beatitudinis quietantis.

88. Probatur conclusio ratione à S. August. ac S. Thoma insinuata, & superius *num. 51.* pro amore beatifico jam adducta. Illud est de essentia beatitudinis, sine quo non plenè satiatur appetitus creaturæ rationalis ut talis: atqui sine certitudine de perpetuitate possessionis DEI non satiatur appetitus rationalis creaturæ: ergo, ma, probata est *num. 51. mi.* est SS. Augustini, & Thomæ, & communis experientiæ: ergo. Confirm. Angelus, & anima rationalis, sicut sunt entia naturaliter perpetua, ita etiam appetunt perpetuè esse beata: ergo, nisi sciant, à se æternam beatitudinem habendam, non carèbunt anxietate. Huc spectat etiam ratio *num. 84.* adducta, quæ immediate etiam probat hanc conclusionem.

89. Respondebis, nostras rationes quidem probare, quod sit requisita hæc certitudo, ut vi-

sio, vel amor possit beatificare, & quod sit dispositio, conditio, vel applicatio: at non probare, quod sit forma beatificans, nec partialiter: sicut unio albedinis non est forma denominans album. Contra est. Hæc certitudo non potest dici tantum applicatio; cum visio, & amor, per se jam satis applicentur, seu uniantur. Neque videtur esse dispositio; nam ista ordinariè præsupponitur ad formam, & disponit subiectum ad eam recipiendam: at hæc certitudo non præsupponitur ad visionem, vel amorem, sed potius hunc, & illam præsupponit: & visio sine illa certitudine pro priori præsupposita potest recipi in anima.

90. Paritas cum unione, etsi admittatur, non impedit, quo minus hæc certitudo sit partiale constitutivum beatitudinis in actu secundo beatificantis: sicut unio albedinis est pars formæ in actu secundo dealbantis. Resp. 2. hanc certitudinem esse formam denominantem, saltem partialiter, beatum; quia denominat per se ipsam formaliter certum, & securum de sua beatitudine æterna: quæ securitas est pars beatitudinis ex S. Augustino, & Thoma. Sicut dubium, vel certitudo de amittenda esset exclusio beatitudinis; quia asserret statum anxietatis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

91. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Beatitudo formalis est ens creatum: ergo non potest exigere perpetuitatem. Confirm. 1. Non implicat, dari visionem, & eam iterum tolli: ergo potest DEUS id facere. Confirm. 2. Beatus satiaretur, si per aliquod tempus longum haberet visionem intuitivam, postea autem haberet abstractivam: ergo non debet visio intuitiva esse perpetua. Resp. dist. conseq. Beatitudo formalis non potest exigere perpetuitatem sui in individuo, conc. conf. in sua specie. neg. conseq. beatitudo enim ut talis, seu ut formaliter plenè satians creaturam rationalem, includit certitudinem metaphysicam de futura semper aliqua visione, & amore DEI, sive sit eadem in individuo, ut aliqui volunt, sive sit eadem, saltem in specie, ut alii, de quo inferius dicemus. Nec in hac exigentia est ulla absurditas; quia tantum oritur ex decreto DEI, volente creaturam plenè satiare: non autem ex natura individuum; licet enim possit creatura exigere naturaliter esse perpetua, ut Angelus, & anima rationalis, tamen, ut suppono cum communi, non potest exigere id metaphysicè, ita, ut nec de absoluta potentia possit destrui: quamvis, si talis creatura possibilis esset, argumentum minorem vim haberet.

92. Ad 1. confirm. omitt. totum. Si enim DEUS talem visionem &c. daret, & iterum tolleretur, illa non fuisset beatitudo formalis plena, & perfecta ex *num. 80.* sic etiam, si DEUS destrueret aliquem Angelum in coelis, ille non fuisset beatus; quia vel habuisset ignorantiam, aut errorem, vel anxietatem ex *num. 85.* Defacto autem DEUS nullum Beatum destruere potest; quia infallibiliter promissit, se id non facturum. Ad 2. confirm. neg. antec. quia talis à statu altissimo